



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Jesu Pars ...**

Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.  
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCL**

Patribus Et Fratribus Societatis Jesu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



## PATRIBUS ET FRATRIBUS SOCIETATIS JESU.



*Ulto antea debebatur vobis, quæ nunc demum in lucem educi incipit, Historiæ nostræ pars sexta; nec habeo dicere cur dilata tandiu fuerit, nisi quod vel hinc debetis existimare, cujus operis negotiique sit Historiam scribere, cum præsertim erosas vetustate chartas evolvere necesse est, & ex farragine documentorum propemodum infinita colligere materiam idoneam, quam deinde ordines, atque contexas, postremo latinam facias. Mihi quidem hujus laboris minima, ut verè dicam, relicta pars est, eaque ferè planissima. Qui enim me præcessit Historicus Societatis Vincentius Guinifius, Vir æquè industrius & laboris patiens, totus per diu fuit in excutiendis Tabularii domestici monumentis, seponendisque rebus annalium memoria dignis: quas tametsi, utpote in extrema senectute ad scribendum aggressus, minus feliciter explicaverit; commentarios tamen confecit spissos atque uberes, in quibus ego acta annorum quindecim, paratam veluti messem, inveni, & alieni laboris fructum cepi maximum: Quippe absolutus illa cura, qua non alia molestior, percurrendi litteras numero in-*

nu-

numerabiles, difficili sæpe scriptura exaratas, carie etiam interdum ac situ corruptas, vixque alium præterea laborem sumere coactus, quam ut multa demerem, adderem admodum pauca, omnia distinctius digererem in suos annos, & apta, quam potui, latinitate donarem.

Jam ut de tota ratione operis, REV. PATRES, FRATRESQUE CARISSIMI, vos præmoneam, principio illum mihi ordinem consecrandum putavi, quem principes Historiæ nostræ Orlandinus, & Sacchinus, quemque alii Religiosorum annalium Scriptores præmonstrarunt. Annis ergo singulis singulas Societatis Provincias percurro, quodque eo spatio gestum est, uno libro complector: Neque id tamen adeo superstitiosè, ut non interdum res plurium annorum in unum congeram librum, cum ea nimirum est rerum indoles, quæ uno ac continuato narrationis contextu peragi postulat. Visum id convenientius, quam partiri rerum genera, eaque a suis initiis usque ad exitum deducere, quod Juvencius, relicto majorum instituto, fecit. Nam tametsi expedire omnia per suas classes, id scribenti legentique commodius accidat, plerique tamen seriem temporum quærent, quoque ordine res singulæ contigerunt, eodem narrari volunt: quorum ego judicium sequi malui, quam Juvencii exemplum; cum maximè audirem fore aliquando, ut ejus Historia, cæteroqui comptissima, ad normam priorum annalium reformaretur.

Porro in delectu materiæ multo difficilior mihi deliberatio fuit, quam sumerem, quamque rejicerem. Occurrebat rerum bene feliciterque gestarum mira ubertas, sed ex earum genere, quæ propriæ instituti nostri sunt, ac penè jam usu assiduo vilierunt. Hæc si quoties acta sunt, toties narranda suscepissem, infinitus planè eram, ac propter rerum similitudinem legenti permolestus. Sed neque, ut legentium satietati occurrerem, præterire omnia debui. Nam præterquamquod, iis demptis, vix quidquam magnopere memorandum in Religiosa Familia reliquum sit; cur oblivioni traderem facta præclara, & ad inflammandam acuendamque nostrorum virtutem, quod mihi præ-

præcipuè propositum est, in primis idonea? Mediam itaque ingressus viam, ea duntaxat sum executus, quæ, cum per se laudabilia, tum novitatem aliquam, aut certè singulare pretium habere visa. Reliqua ejusdem generis prætermisi, non quia parum splendida, sed quia usitata, & nimis multa.

Sed neque sic fortasse perfecerim, ne fastidiosis quibusdam hujus ævi lectoribus videar justo prolixior, & insulsus. Nam quid attinebat, inquit, toties sacras Missiones, Conciones, Exercitia, ut loquimur, spiritualia, & Improborum conversiones obtrudere, in quibus rebus nulla varietas aut amœnitas, quasque passim usurpatis videmus, nunquam sine fructu, semper sine admiratione? Horum ego si censuram metuerem, excusarem facile me exemplo non minus illustri, quam gravi, clarissimorum Scriptorum, qui Regum, aut Rerumpublicarum Historias meris bellorum consiliis, aut eventibus impleverunt; non hæc rati minus insignia quia crebra, nec quia inter se quam simillima, ideo tacenda. Quod si illis licuit suis præliis & victoriis volumina integra confercire, cur nobis non liceat nostris? Nisi fortè pulchriora illa dicenda sunt, quia ex ambitione suscepta, injusta sæpe, semper cruenta, nec fere a vi, a scelere, cladibusque disjuncta. Mihi certè multo molestius fuit hæc scribere, quam cuiquam legere futurum sit. Veruntamen non debui pensi habere quid externi aliqui dicturi sint, cum vestræ tantum utilitati, & voluptati scriberem. Vobis autem non modo utile, sed & jucundum fore confido, videre in aliis laudata quæ ipsi facitis, nec dubito quin inde novos ad agendum stimulos, novamque alacritatem accepturi sitis.

Hac mente addidi etiam præstantium Virorum elogia, quorum funera in hoc, de quo scribo, tempus inciderrunt. Qua in re recedendum mihi nonnihil duxi ab aliorum Scriptorum consuetudine, qui talium hominum vitam integram suis annalibus intexuerunt. Eorum ego virtutes, res gestas, & præcipuas duntaxat laudes attigi, quan-

quantum satis visum est, tum ne illorum memoria penitus interiret, tum ne vobis ad æmulationem deessent domestica incitamenta. Longiorem narrationem omisi, ne opus præter modum justæ molis excresceret.

Præter hæc, quidquid ubique accidit novum & insolens, sive illud nostro Ordini decorum & splendidum, sive minus honorificum, cum fide retuli; pro certo sumens, æquis rerum æstimatoribus omnia perinde profutura. Quæ enim honestatem & gloriam adjunctam habent, amorem virtutis, quæ vero turpitudinem, ea vitiorum odium & fugam excitant. Nec si quisquam nostrorum interdum minus sapienter, aut parum honestè fecit, id ego dissimulandum putavi. Nam quis miretur, in tanta hominum multitudine unum & alterum inveniri degenerem! Optandum quidem ut nemo sit, sed in magno mortalium numero non sperandum. Videbitis proinde alibi Societatem in deliciis habitam, & votis communibus expetitam, alibi cum ignominia pulsam: Hic vexatam atrociter, nullo suo merito; illic invidia non minus gravi, quam justa laborantem: Nunc unius temeritate in discrimen adductam, nunc alterius fide industriaque, non servatam modo, sed honoribus præterea, & beneficiis auctam: Ubique tamen ac semper (quod solatii genus optimum) bonis caram, improbis hæreticisque odiosissimam, & ex maximis gravissimisque tempestatibus, Deo protegente, ereptam adeo feliciter, ut, quemadmodum de margaritis tradunt, a jactatione & fluctibus pretium firmitatis candorisque traxerit.

Atque hæc quidem ego, quæcunque sint, ita trado, ut extant in domesticis monumentis, quorum sanctissima apud nos fides, nec cuiquam sapienti sublesta, aut parum tuta esse debeat. Nostra enim monumenta cum dico, eas dico litteras, quas Rectores Provinciarum, aut alii probatæ religionis, & prudentiæ Patres, scribere solent ad Generalem Præpositum de rebus suis, quæque in Tabulario Societatis Romæ custodiuntur. Quis porro suspicetur, Viros tales, aut ignorare quæ scribunt, aut su-  
pre-

premo totius Ordinis Moderatori velle mentiri? Hinc si quando aliorum scriptis minus consentire videbitur narratio nostra, promptum unicuique erit judicare, cui potissimum fides adhibenda sit; nec ullum fore arbitror tam rebus nostris iniquum, qui veraciores putet tot illos contra Societatem editos libros, quorum auctores constat, vel latere omnino, vel infamia notatos esse, vel denique, quod indignissimum est, mero odio, ac maledicendi studio scripsisse: ut etiamsi mendacii calumnieque comperti non sint, dent certè suspicioni locum, sibi que omnem fidem ipsa stili acerbitate derogent.

Postremò curæ mihi fuit, ut quicumque aliqua re bene de nobis meriti sunt, eorum his annalibus consignarem nomen; tegerem contra eorum, a quibus maleficium aliquod, aut injuriam accepimus. Probabit, puto, ut estis sapientes, consilium meum. Nam, ut grati animi est alere beneficiorum memoriam, eorumque a quibus beneficium acceperis recordari, religiosi item est injuriarum oblivisci. Et quamvis præteritas meminisse calamitates interdum juvet, calamitatum certè auctores scire nil attinet. Equidem in hac re malui Historici partibus, aliquid tacendo, deesse, quam minus caute ac moderate facere, aut non omnino obsequi ingenio vestro, quod ab omni, non modo offensione, verum etiam offensionis periculo alienissimum scio.

Atque hæc demum sunt, REVERENDI PATRES, FRATRESQUE IN CHRISTO OPTATISSIMI, quæ Vobis in antecessum indicata volui de tota ratione Operis, quod Majorum voluntate susceptum huc usque perduxi. Ad reliqua prope-ranti multum accedet animi, si primum hunc fructum laboris, & industriæ meæ Vobis probari intellexero.

